



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos
Cardinales &c. Libri VI**

Baronius, Justus

Mogvntiae, 1605

Liber VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)



IVSTI BARONII

VETERACASTRENSIS

EPISTOLARVM SA-

CRARVM

LIBER VI.

EPISTOLA I.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. CÆSARIBARONIO Sorano S.R.E. Cardinali

IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS S.P.D.



Go omni officio ac potius pietate erga te cæteris satisfacio omnibus, mihi ipsi nunquam satisfacio. Tanta enim magnitudo est tuorum erga me me-

*a Famil.
Epist. I. ad
P. Lentul.*

ritorum (pergo cum ^a Cicerone Vestrate te alloqui, CARDINALIS AMPL^{mc}) vt quoniam tu nisi perfecta re omni, id est omnibus pristini erroris mei lineamentis erasis, meq; ipso auspiciatoris tibi cognominis fœdere associato, de me non conquiesti: ego quia non parem tibi gratiam referre possum, vitam mihi esse acerbam putem. Quamobrem

tem mihi sacer erit perpetuo Calendarum *b Ann.*
 ille Septembrium dies, cum mane mecum *M. DCII.*
 & cum fratre in *Lateranum* profectus, Pon-
 tifice Maximo (quæ singularis eius erga
 nos humanitas fuit) è *Quirinali* eodem ad-
 ventante, primumq; solenniter factis ad a-
 nimi etiam nostri alimoniam operante, po-
 stea neglecta dudum hæreticis initiationi-
 bus *Sanctissimi* *c* *Chrysmatis signacula* fron-
 tibus nostris imprimente, tu quæ Sacra-
 menti istius solennitas est, mihi patrini lo-
 co adstare, mecumq; spirituales illam co-
 gnatione inire, quæ verò tua longè maxima
 bonitas, hoc mysticę cognationis Vinculū,
 immortali cognominis tui artha obsignare
 dignatus es. Quam ego tuam longè Illu-
 strissimi Principis erga me imum terræ fili-
 um longè prolixissimam humanitatem, q-
 bus verbis efferam, quibus laudibus prædi-
 cem, penes balbutiem meam non reperio.
 Equidem æmulatus videris patrem *d* *Euan-* *d Luc. 15.*
 gelicum, qui vt filium lacerum pannosum- *22.*
 que ad se postliminio redeuntem, quam
 primum eiectis centonib⁹ *nova stola indui,*
& annulo nouo ornari, & calceamentis nouis
muniri iussit: ita tu pertæsus in me familia-
 que Sanctæ Ecclesiæ profelytis turpissimi
Caluiniani nominis Exuuias, constitutis iam
 ex voto reliquis, non satis nos nouo ornari
 cognomine habuisti, sed quo in omnibus

*c S. Leo
 serm 4 de
 Natiuit.
 Dni. cap. 4*



*e Iuvenal.
Satyr. 2.*

mentura amoris tui largiter redundaret, tuo etiam proprio ornasti, tuo proprio be-
asti, tuo proprio collocupletasti: infelice il-
lo CALVINO longe ^e *ultra Sauromatas &*
glacialem Oceanum relegato. Quam rem
etsi molestè quidam, vt audio, quidam et-
iam inuidè & acerbè ferunt, mea tamè plu-
ris ratio facti, quam hominum malignitas
interesse debet.

*fl. i. C. de
mutat. no-
minis & S.
Si quis in
nomine. In
statut. de
Legat.
g Vip. l. 4.
C. de Legat.
h l. i. C. de
mutat. no-
min. Adde
Boss. cap.
40. de mu-
tat. nom.
Pet. Gregor.
lib. 36. syn-
exp. 4.
i L. 107. &
146 &
209 & 211.
ff. de Reg.
Iur.
l. falsis o-
minis 13 ff.
ad l. Cor-*

Primum enim quis vel leuiter juris pru-
dens istud non habet perspectissimum, ^f no-
mina ad recognoscendum singulos impo-
sita, & ^e *mutabilia* esse, & liberrimæ inter
homines liberos Electionis? Statuentibus
sic duobus famosissimis Diocletiano &
Maximiano Impp. *Sicut* ^h inquit, *ini-*
nitio nominis, cognominis, prænominis, reco-
gnoscendi singulos impositio libera est priuatis:
Ita eorum mutatio innocentibus periculosa
non est. Mutare itaq; nomen, vel prænomen, si-
ue cognomen, sine aliqua fraude licito Iure, si
liber es, secundum ea quæ sæpe statuta sunt, mi-
nime prohiberis, nullo ex hoc præiudicio futu-
ro. SI LIBER ES, inquit. Nam Seruorum
alia ratio, qui vt in ⁱ Iure pessimo loco sunt,
ita nomen non in sua, sed in Dominorum
potestate constitutum habent: cuius rei
mox indicia aliquot apparebunt. Deinde
FRAVDEM quoque abesse volunt. ^k Dolo e-
nim malo seipsum adoptans, aut nouum si-
bino-

binomen imponens, pœnam legis Corneliae nel Paul.
 incutrit quemadmodum ¹ Lib. 5. sent. tit. 25. ad l. Corn. S. si quis sibi. Capitolin. m Val Max lib. 9. cap. 16. n Val. Max. lisd. *Serius ille quasi Fabia filius esset, ex Ceioni Commodi filia Pa-*
latina domo vindicata, iubente Pertinace fla-
gellis casus, Domino redditus est: Et^m Hero-
philus Equarius medicus C. Marius septies
consulem, auum sibi vindicans, decreto Cæsa-
ris extra Italiam relegatus est: deniq; ⁿ alius
quidam clarissima Octavia Augusti sororis v-
tiro se genitum fingens, Imperio Augusti remo-
publica triremis affixus est. At liberorum
 hominum bona fide vel sibi, vel seruis suis,
 aut libertis, aut filiis adoptiuis, aut hæredi-
 bus, aut ciuibus à se factis nomen immu-
 tantium, tam cõferta sunt Romanæ Histo-
 riæ exempla, vt quibus seligendis potissi-
 mum inhæream, ægrè mecum constituam.
Aulus^o Vitellius (prima siquidem recensio
 Imperatorum esto) Germanici cognomen
 sibi delatum, cupidè recepit. Augusti distu-
 lit, Cæsar in perpetuum recusauit. *Seuerus*
Afer, vt Populo Romano placeret, cogno-
 men Pertinacis accepit. ^p *Julianus* vt militi-
 b^o voluptuosis satisfaceret, Commodi no-
 mine vsus est. ^q Tandem & *Commodus* loco
 sui nominis, & pro Marci filio, Herculem
 Iouis filium se nominari voluit, depositoq;
 cultu Romanorum Principū pellem Leo-
 nis substituit, ac clauam manu gestauit, de-
 mumq; se mille gladiatorum victorem ap-
 pellari

o Sueton. in
Vitell. cap. 9.

p Herodias.
lib. 2.
q Herodias.
lib. 1.

pellari iussit. Quam rem quoque Aufonius
in Tetrastichis tetigit.

COMMODOVS insequitur pugnis maculosus
arena,

*Threcedico Princeps bella movens gladio.
Eliso tandem persolvens gutture poenas
Criminibus, fassus matris adulterium.*

Carol. Si-
gam. lib. de
nomm. Rō.
Polit. in
Mis. cap.
31
Quintil.
lib. 1. cap. 7.
& Cic. 16.
Fam. 1. as-
sem. Euseb.
in Ch. 0. 3.
Olym. 193.
& Plin. lib.
31. cap. 6.
E. 15.
& Gell. 17.
cap. 6. l.
y lib. 4. ad.
Attic E-
pist. 14.
& lib. 40.
46, E. 55.
Adde Ma-
nut. comm.
in lib. 1. E-
pist. Cic. ad
Marc. Brut.
8. Epist.

De servis servitutem adhuc servienti-
bus^r memoriæ proditum est, prænomen
Domini gestare solitos; quod & *Lucipores*,
Marcipores, *Publipores*, *Quinctipores*: id est,
Lucii, Marci, Publii, & ^s Quincti pueri te-
statum faciunt. De Libertis appellationem
Patroni imitâtibus, exemplo sunt ^r *M. Tul-*
lius Tiro, & ⁿ *M. T. Laurea*, Ciceronis Li-
berti duo, nec nõ^r *Liui^o Andronicus* Poëta,
quem à Marco Liuiio Salinatore, cuius filios
erudierat, libertate donatum Eusebius in
Chronicis author est: denique vt multos
præteream, *Eutychedes* Attici servus; de quo
sic^y Cicero: *De Eutychede gratum est, qui
vetere prænomine, nouo nomine T. erit Cecili-*
us, vt est ex me E. te iunctus Dionysius Marcus
Pomponius. Iã adoptiuos^z Dion author est,
Omnia illorum nomina ferre consueuisse,
quorum in familiam transfissent, gentilitio
nomine suo retento quidem, sed aliqua ta-
men ex parte commutato, & plerunque in
ANVS terminato: vt in exemplis *P. Corneli*
Scipionis Emiliani, & *L. Manlii Acidini*
Fulvi

Fulviani, & P. Licinii Crassi, & Q. Cæcilii Q. F. Pomponiani Attici, & M. Terentii M. F. Liciniani Varronis Luculli, aliorumq; plurimum manifestum est. De Civitate donatis eundem morem prodit antiquitas. Sic enim Cicero: Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatum meo civitatem à Cesare impetrauit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur. Item Cæsar. Commodissimum visum est, M. Valerium Procillum C. Valerii Caburi filium, cuius pater à C. Valerio Flaceo civitate donatus erat, mittere. Prostrando & hæredibus testamento sæpe nova nomina imposita leges multæ docent, multaq; exempla. Livia enim cum Dolabellam ex parte hæredem instituisset, nomen mutare iussit. Qua de re sic Cicero ad suum Atticum. Dolabellam video Livia Testamento cum duobus cohæredibus esse in triente, sed iuberi mutare nomen. Est φιλικὸν σκέμμα, rectum ne sit nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento: sed id φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν cum scimus, quantum quasi sit in trientis triente. Sic Basilus quoque M. Satrium sororis filium cum fecisset hæredem, nomen suum ferre voluit: nec non Octavius Tiberium ex parte dimidia & sextante, & Liviæ ex parte

com in lib. 2. Cic. ad Q. Fratr. Epist. 1. lib. 3. m. Epist. 36.

lib. 1. de bello Gallie.

et sed esse est facta si sub nomine ff. ad Tribel. d. lib. 7. ad Attic. Epist. 8.

Cic. 3. of. sic.

tertia

tertia hæredes instituens, eandem illis ferendi nominis sui conditionem imposuit.

f Lib 15. Metam. Quod ^f Ovidius fata Augusti canens hisce versibus prædicat.

*adde Bris-
Jon lib. 7. de
Formul.*

————— *Inq₃ futuri*
Temporis æterni venturorumq₃ nepotum
Prospiciens, prolem sancta de coninge natam,
Terre simul nomenq₃ suum curasq₃ iubebit.

Atque hæc ex usu priscae illius laudatissimæque Romanorum Reipub. instituto nostro sufficere poterant. Sed & ipsa historia sacra, receptusque Christiano-

g Gen. 11. 6.

26. 27. 29.

Gen. 12. 6. 1.

4. 6. 7.

h Rom. 4. 6.

11. 12. 16. 17.

Gen. 17. 5.

Luc. 19. 9. 9.

i Gen. 11. 31.

Gen. 12. 7.

g Gen. 13. 18.

Ios. 24. 2.

k Gen. 17. 5.

l Gen. 11. 6.

29. 30. 31.

m Gen.

17. 15.

n Gen.

41. Gen. 45.

o Daniel 1.

17.

rum mos, maiora nobis aptioraque exemplorum præsidia subministrant. Ipso enim sacrorum Codicum in limine quid? Nonne ^g Abram ^h fidelium pater ⁱ abiecto idolorum cultu, susceptaque Veri Dei religione ^k Abraham vocatus est? Et ^l Sara^l vxor eius ^m Sara? Et ⁿ Ioseph, Sapphathopaneas? & ^o Daniel, Bal-hafar? & Ananias, Sadrach? & Misael, Misach? & Azarias, Abdenego? Et ^p Simon Apostolorum Princeps, Petrus? & ^q Iohannes Iacobusq₃ fratres, Boanerges? & ^r Saulus, Paulus? & fideles denique omnes ^s discipulorum nomen Antiochiæ, nonne cum voce Christianorum permutarunt? Quam rem sic pulchrè suis rationibus illustratam exposuit ^t S. Athanasius Omnes inquit qui credebant in Domino nostro Iesu Christo, non Christiani, sed discipuli

tan-

tantum modo vocabantur. Et quia multi no-
 norum dogmatum auctores extiterunt, doctri-
 na obuiantes Apostolica, omnes sectatores su-
 os, discipulos nominabant, nec vlla erat nomi-
 nis discretio inter veros falsosq; discipulos siue
 Christi, siue Dosithei, siue Iuda cuiusdam siue
 Iohannis sectatores, qui se quasi Eccl. sic fate-
 bantur. quin potius vno discipulorum nomine
 ferebantur. Tunc Apostoli conuenientes An-
 tiochia, sicut horum (Luca^m narrante) Acta
 testantur, omnes discipulos vno nomine, id est
 Christianos appellant, discernentes à commu-
 ni discipulorum vocabulo, & ut diuini per
 Isaiam Oraculi sermo completeretur, quo ait:
 seruientibus mihi vocabitur nomen nouū.
 Hanc ergo ab Apostolis traditam de nouis v-
 tendis nominibus formam Ecclesia tenens con-
 tra diuersos hereticos (ut sana fidei ratio po-
 stulat) diuersas edidit nominum nouitates.
 Quæ postrema S. Athanasij verba, quasi
 publicam & receptam hanc mutandorum
 in Ecclesia nominum consuetudinem fuis-
 se docent: quod & ^x Eusebius testatur, cum
 scribit. Christianos olim pronominibus Idolo-
 rum, quæ ipsis fuerant à parentibus imposita,
 noua sibi nomina alicuius prophetae, Elia, Iere-
 miae, Isaiæ, Samuelis, Danielis, &c. adsciuisse.
 Idque plerunque Sacramentis (vti verifi-
 mile est) interuenientibus. Sic enim in ba-
 ptismo ^y Adrias & Paulina à B. Stephano
 Epi-

p Matth. 10.
 2. & 10. 8.
 q Marc. 3.
 17.

r Act. 13. &

p. 13. 16. Ori-
 gen. pref.

Com. in. E-
 pist. Rom.

s. Act. 11. 26.

& 26. 28.

t Athanas.
 in disput.

cont. Ariū
 u. Act. 11.

26. & 26.

28.

x Euseb.
 lib. 8. cap.

20. 21.

y Barom.
 Tom. 2. Am-

nak. 259.
 s. 11.

Episcopo noua nomina Neonis & Mariæ
 acceperunt. Sic in Chrismatis Sacramento
 (ne ego primus id tentasse videar)² *Hermeni-*
nigildus, *Hermenigildi* Regis filius, ex hæ-
 retico Catholicus factus, Iohannes vocatus
 est. Et^a *Voicechus*, vel vt alij legunt, *Wen-*
tius in Baptismo dictus, Pragensis Episco-
 pus à S. Adelberto primo Archiepiscopo
 Magdeburgensi, sacro Chrismate inunct^o,
 Adelberti nomen traxit. Denique *Carolus*
IV. Imp. primum *Wenceslaus* dictus, idem
 Imperatorium nomen *Parisijs* cum Sacro
 Balsamo recepit. Quæ tanta tantorū Prin-
 cipum exempla (Pontificum enim Roman-
 norum, multorumque religiosorum rece-
 ptissimum in hoc genere zelum in præsens
 omitto) hoc vno à me distant, quod illi
 propria etiam nomina, firmiter scilicet im-
 pacta, ego solum cognomentum, idque o-
 diosissimum ac turpissimi hæresiarchæ so-
 no maculosissimum refingendum atque ab-
 olendum putavi. Quod potissimum defen-
 sionis meæ caput nunc sequitur, vt paucis
 etiam pro instituti breuitate perstringam.
 Scribunt^b probati authores, tanta cura
 veteres nominum *δυσωνμία* vitasse, vt ne
Epidamni quidem aut *Maleuenti* nomina
 ferrent, quin ea tandem in *Ditrachij* & *Be-*
neuenti appellationes commutarent: o-
 minis scilicet causa, vt à^c veteribus tradi-
 tum

2. *Greg. Tu-*
rom. lib. 5.
cap. 8. 3.
a Baron.
Tom. 10.
Ann An.
980. § 1.
Adde no-
tis ad SS.
Martyr. A-
bundii, A-
bundantii
Eccl. Passio-
nes Roma
excus. An.
84. f. 133.

b *Suet. in*
Augusto
cap 92. Ad-
de Briffon.
lib. 1. de for-
mul.

c *Plin. lib. 3.*

tum est, ne eo locorum profecturis ipso nomine triste quid portendi videretur. Scribit etiam^d Plinius, Publicis lustris nomina victimas ducentium prospera electa fuisse. Et in publicorum vectigalium loca-
tionem Lacum Lucrinum propter Lucri so-
 norum nomini inhaerentem primum loca-
 tum fuisse, Festus tradit his verbis: *Lacus Lucrinus in Vectigalibus publicis primus locatur fruendus, Ominis boni gratia, ut in delectu Censue primi nominantur Valerius, Saluius Statorius.* Qualibus nominib⁹ dubio pcul fuerunt milites, quos^e Tacitus in Capitolij dedicatione adhibitos fuisse scribit. *Ingressi inquit, milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis.* Sed maiori adhuc cura haereticorum nominum *δυσφημίας* Christianos in Ecclesia euitare consueuisse, argumento est, quod ea ex *Diptychis* etiam deleterent, nec memoria quidem viuere paterentur, qui vnanimis in Ecclesia Dei viuere nolissent. Quare^f *Anastasium Papatam* audiamus, de nomine Acacij abolendo ad Anastasium Orientis Imp. sic scribentem. *Legatione fungimur pro Christo: ne eos propter offensionem vel scandalum patiamini publicè nominari, quorum merita vel aeternus illum Iudicem latere non possunt, in cuius iam sunt iudicio constituti.* Et infra. *Preca- mur Clementiam vestram, ut specialiter no-*

cap. 11. § 23.

Pop. Mela.

lib. 11. cap.

1. Plaut.

Menach.

Act. 1. scen.

1. Dion. lib.

41.

a Plin lib.

28. cap. 2.

e Tacit. lib.

20.

f Epist. de nomine Acac. abolend.

inen taceatur Acacij, & quod multis ex causis
 scandalum vel offendiculum Ecclesie concita-
 uit, speciali appellatione taceatur, cum sicut
 diximus, in generalitate sacerdotum uniuscu-
 iusque meritum illum iudicem latere non pos-
 sit, qui nouit quid cuique tribuendum sit pro
 aestimata dispensatione meritorum, cui soli co-
 gitationes quoque manifeste sunt. Digna
 Summo Pontifice vox, & planè ad amissim
 illam Apostoli: ^g Ab omni specie mala ab-
 stinere vos: & iterum ^h Fornicatio & omnis
 immunditia, aut auaritia nec nominetur in
 uobis, sicut decet sanctos. O quanta mali spe-
 cies, Hæresiarcharum laruas in fidelium
 cœtu circumferre! quanta ⁱ fornicatio, re-
 ligiosæ mentis nisum ab vnica CHRISTI
 sponsa Ecclesia ad fœdissima allophylo-
 rum prostibula conuertere! Quorum
 mentionem vt in ^k Acacij, ^l Macedonij,
^m Euphemij, ⁿ Flauita, Anastasu Imperato-
^o Zenonis, ^p aliorumque cœlestis pud-
 citiæ contemeratorum nominibus da-
 mnatis abolere antiquitas voluit: Ita quis
 neget hodie pari Iure impurissimorum
 fornicatorum, Lutheri, Caluini, Zuinglij,
 Bezae, Seruerti, Gentilis, Melancthonis, &c.
 Cognomenta tanquam putrida sterquili-
 nia, non è sacris tantum tabulis, ab vsu &
 foribus Ecclesie, sed è labijs etiam ac ser-
 mone hominum eliminanda? Quis enim
 exo-

^g 1. The. 5.
^{22.}

^h Ephes. 5. 3.

ⁱ Deut. 31. 16

^{Esai.} 1. 21.

^{Jerem.} 3. 6. 1.

^{23.}

^{Hseron.} E-

^{psst.} ad Ruf.

^k Baron. To.

^{6.} Ann. an.

⁴⁹⁷ § 3.

^l Ibid. An.

⁹¹⁵ § 50.

^m Ibid.

ⁿ Ibid. An.

⁴⁸⁹ § 3.

^o Ibid. An.

^{518.} §. 25.

^p Ibid.

ex omni antiquitate hæreticus sceleratio-
 ra hisce beluis aut fecit, aut facere potuit?
Insupererunt ⁹ *aduersus testamenta Dei:*
 tabulas fœderis consciderunt: fidei puri-
 tatem coinquinarunt, vnitatis vestem diru-
 perunt, religionis medullam in pulueres
 accineres conuerterunt: *Caluinus* inpri-
 mis, qui tanquam Colophon impietatis,
 horrendo Prædestinationis commento ¹⁰ o-
 mnibus diuinæ bonitatis, veritatis, mise-
 ricordix, iustitiæ insignibus erasis, Busiri-
 dem quendam aut Phalaridem, aut his et-
 iam crudeliorem Satanam pro Deo nobis
 substituit. Et tu tamen postulare audes
 hæretice, huius ego sacrum vt nomen in
 Ecclesia pro monili geram, cuiusque o-
 mnem memoriam sempiterna obliuione
 damnauit, illi sempiternum memoriæ asy-
 lum incapite meo constitutam? Longè a-
 liter ⁹ Psaltes. *Deleantur* inquit, *de libro vi-*
uentium, & cum IUSTIS non scribantur. A-
 liter pia olim Ecclesia, impio Anastasio in
 loco sancto sepulto: ¹ *Tollantur* inquit, *ossa*
Manicheorum. Aliter denique omnes
 hodie Christiani Catholici, qui ad *Caluini*
 nomen non secus ac tristissimi cacodæmo-
 nis, aut perfidissimi Ischariotis mentio-
 nem nauseant, expuunt & effertuescunt.
 Horum ne igitur ego stomachum perpe-
 tuo fomento alerem? hunc tam capitalem

9 Psal. 54.
 22. & ibid.
 August.

10 Calu. li. 2.
 Instit. cap.
 21. & 22.

1 Psal. 68.
 29.

1 Baron. Te.
 6. Ann. an.
 518 S. 25.



Dei bonorumque omniumque hostem
quotidiana nominis repetitione venerarer?
Absit: nihil irreligiosius. Quin quemad-
modum ^v *Agnus ille in monte Zion, filius*
hominis, amictus podere, & procinctus ad ma-
millas Zona aurea, vincentibus promittit
manna absconditum & calculum candidum,
& in calculo nomen novum scriptum, quod
nemo scit, nisi qui accipit, ut scilicet qui sta-
tus conversionem consecuti sunt, cognomine
quoque mutato fulgeant, ut verbis ^x Imper-
ratoris nostri utar: Ita ego Catholicæ ma-
tri reconciliatus, atque omni hæretica lue
expurgatus, quo ne minima quidem pristi-
ni erroris vestigia superessent, grato liben-
tique animo nouo me cognomine imbui
passus sum: sine vlla vel Dei vel parentum
meorum ignominia: quos ut etiamnum
transplantatus libenter agnosco, omnique
diuini & humani Iuris veneratione totus
prosequor: ita errorem eorum constan-
ter damno, mentemque illis à Deo fa-
niorem omnibus animi votis precor & o-
pto.

Habes *Cardinalis Illustrissime*, quæ mihi
hoc tempore de nominis à te mihi facta
consonantia (sic Anastasius Papa ad Ana-
stasium Orientis Imper. indigitar) scribe-
re libuit & licuit. Vnum forte id restat, ut
quia te ipso ^v authore, Antiochia ^z teste,
quæ

u Apoc. 1. 13
& 2. 17.

u In ff. de
rat. & me-
thod. Iuris
Docend. ad
Antecess.

u Baron. To.
7. 122. 22.
528. §. 27.
2. E. agr.
lib. 4. ca. 6.

quæ nouo nomine *Theopolis* dicta, Nestorianis blasphemijs inquinata, Cosrois Persæ præda effecta est, parum interest, nouum nomen sine nouis moribus induere: Tibi tantî mihi beneficij authori, non solum omnes debitissimas grates, verum etiam (quod facio) omnia illa iura Iurem, quibus me tanto *ὀμωυπίαισ* vinculo tibi reddidisti obstrictum. Inter quæ illud facilè princeps & palmarium, vt auspiciatissimum **BARONIANVM** cognomen, virtutibus dignitatibusque tuis tantoperè nobilitatum, omni fide, pietate, constantia, doctrina, industria, aliorumque Catholicorum ornamentorum decore, quantum possum, excolam & quod vnicè cupio, viuus mortuusque cohonestem. Vale, *Mæcenas Ampliss.* meque semel in clientum, atque adeò etiam familiæ tuæ numerum cooptatum, quæso nunquam isto albo excidi patere: quin indies firmitus insculpe, fortius tuere, atque acrius hortare, quo maiores luculentioresque honori tuo semper è studijs meis fructus enascantur. *Moguntia. Idibus Februar.*

M.DCV.

Bb 3

EPI-

EPISTOLA II.

BEATISS^o SANCTISS^oq; IN
Christo Patri & D^{no}, CLEMENTI VIII.
Pontif. Max.

IVSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis.

A VSVS sum aliqd, *Beatiss^{me} PATER*, bona certè voluntate, nescio vtrum pari S^{is} T^æ approbatione. Sed ausus sum, audereque me iussit admirabilis illa tua tot tantisque experimentis mihi cognita humanitas: quam si præsentis quoque causæ accommodaueris, nihil verebor, ne non consilium meum firmum ratumque habiturus sis. Natus est mihi anno abhinc plus minus altero ex vrbe reduci, subitò, quod aiunt, sub manu libellus, *Pseudo Iubileo* Lutheranorum in *Saxonia* oppositus, quem quia nunc typis suis reuocare, meoque sub genuino nomine edere statuebat typographus, ego quoque mihi, quod prius neglexeram, de Patroni clypeo cogitandum esse ducebam: idque tanto magis, quanto plura & venenatiora mihi nunc è tenebris euoluto hostium spicula viderentur pertimescenda. Cum verò huiusmodi *apophoreta* (muneris enim nescio quid & honoris

ris etiam habere creduntur) Mœcenatibus potissimum, id est præclarè meritis studiorum nutritijs consecrari viderem: quos inter S^{as} T^a ita mihi multis ab annis tam principe loco est, quàm est omnium mortalium loco summo constituta, subito apud animum meum decreui, non esse huic lucubrationi alium à te quærendum patronum. Causas exponet libellus ipse sat multas: exponam & ego plures, si quis confertiore ætiologiam desideret. Sed non necesse est vltiorem huic rei operam impendere. Vides ipse, hoc argumentum totum tuæ fuisse & esse personæ, cuius in Sede vt oppugnanda omnes vires hæreticus, ita ego in eadem defendenda omnes ingenij doctrinæque nervos consumo. Ille te *Antichristum* vult, ego Christi Vicarium; ille Pseudoprophetam, ego Apostolum: ille tyrannum, ego patrem. Cui pugnae vt plures etiam spectatores colligerem, hac ipsa nominis tui illecebra efficere volui. Neminem enim tam depressæ mentis futurum puto, quem non hæc tam excelsi *Agonothetæ* mentio ad aliquam saltem alacritatem excitatura, & si quidem desperatus, ad maiorem insaniam redactura, sin verò sanabilis, gratia & voluptate maiori perfutura sit. Taceo quod omnis nostra opera, Ecclesiæ restaurandæ locata, opera

^a Luc. 5. 5. tua est, qui sub signis tuis militamus, ^a ad
^b Iohan. 21. 6. *inssum tuum retia eycimus*, nutu tuo ^b fal-
^b Apoc. 14. ces *apramus*, nec tuo tamen sed Christi nu-
 8. 15. 16. 17. tu, cuius in te & pastorum colimus, &
 18. 19. veneramur potestatem. Tibi enim hic vi-

^c Iohan. 16.

7.

^e Eph. 4. 8.

^d Psal. 67. 19.

^d Mala. h.

2 7.

^e Deut. 17.

8. 9.

^e Matth. 18.

17.

^f Hieron. E-
 pist. 18. ad
 Marcell.

^g Vincent.

Lerinens.

in common.

cap. 23.

^h Vergil. Ec-

tog. 1.

ces suas resignavit, vt quia ^c ipse maioribus
 bonis cumulandis abiturus erat, te vicari-
 um haberemus sacerdotem, ^d cuius ex ore
 legē requireremus, ^e cuius iudicio lites diri-
 meremus, cuius ductu ab omni fidei nau-
 fragio tuti immunesque peristeremus. Tu-
 is igitur vt dixi legibus paremus, tua signa
 sequimur, tuoque auspiciatissimo nomini
 omnem nostram operam, quocumque in
 genere nauatam rectissimè consecramus.
 Vt si vel priuata illa tua in me merita negli-
 gerem, causæ tamen affatim suppeteret,
 quamobrem hanc dedicandi rationem se-
 qui debuerim. Sed absit vt negligam. Tu
 mihi ^f Ambrosius, qui tanto sumptu char-
 tas, pecunias, Notarios & polygrapho illi
 Origeni suppeditasse scribitur: tu Augustus
 meus, quem sempiterno cum Poëta carmi-
 ne canam.

^h O Melibæe, Deus nobis hac otia fe-
 cit!

*Namque erit ille mihi semper Deus, il-
 lius aram,*

*Sape tener nostris ab ouilibus imbuet
 agnus.*

Ille

*Ille meas errare boues, ut cernis, & i-
psum*

*Ludere, quæ vellem, calamo permisit
agresti.*

Accipe igitur per Deum Sanct^{me} Ponti-
fex hoc quaecunque grati animi pignus:
atque ita quæso accipe, ut te sementis tuæ
manipulum ferre putes. Si vberiora desi-
deras, sanè debere me fateor, at posse nego,
vbi potero, metes & tu, ¹ *Dysque* interea
*non solum aure, sed & mola salsa litari cogi-
tabis.* Vale. Mogunt. Nonis Februarij.
M.DCV.

*i Plin. p. af.
Natu. hist.*

EPISTOLA III.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. BERNHAR-
dino Paulino Sⁱ Dⁱ Nⁱ CLEMENTIS
VIII. Pontif. Max. Da-
tario

*IUSTVS BARONIVS VETERA-
castrensis S.*

EN tibi tandem, Ill^{me} & Rev^{me} Dne, pro
tua illa insigni in me beneficentia &
comitate dudum debitum destinatumque
ἀντίδωρον. Quale inquis? Litterarium
tenue, rude ac minus perpolitum, quam
Bb 5 vel

vel voluntas mea, vel dignitas tua longè maxima postulabat. Sed quia non eorum te numero accenseo, qui ponderibus rerum, non voluntate donantium munera metiuntur, contra omnem^a diuinæ & ^b humanæ Philosophiæ rationem: acquiesces spero τοῖσ' παρῶν, excusabisque ipse tempus, occasionem, locum, quæ singula vides vel nolentem me in hæc augustias cōgisse. De argumento libelli noli laborare. Appendicula est *Præscriptionum* mearum dudum editarum: quas quia admordere conatus erat homo *Anglicanus*, iure hanc à me defensiunculam extorsit. De loco purgabit me tibi^c *Agésilais*, purgabit^d *Aristippus*, purgabit denique^e *Damonidas*, qui omnes vltimo quondam loco constituti, susq; deq; id habuerunt, animosque non locum viris, sed viros loco cōciliare dignitatem responderunt. Quod si tu quoque existimabis, Ill^{me} & Reu^{me} D^{ne} nil spero supererit, quamobrem meum tibi munusculum sordere debeat. Vale, & si fas precari, hanc vnā mihi gratiam habe, vt gratū habeas, quod gratissimo tibi animo dicatum iui. Vale iterum. Mogunt. 4. Non. Martij. M. DCV.

^a Luc. 21. 3.
^b Arist. lib.
4. Ethic. ca.
7.

^c Plutarch.
in Lacon.
^d Laert. lib.
2. cap. 8.
^e Plutarch.
in Lacon.

LIBRI SEXTI EPISTOLARVM
FINIS

BE-